

Püttmann

De  
nuptiis  
seruum

1782





67

1. 05. 1912  
I. L. E. PÜTTMANNI

ANTECESSORIS LIPSIENSIS

DE

NVPTIIIS SENVM  
COMMENTATIO



J. 408.

Kr 3133

HALAE  
IMP. IOANNIS IACOBI GEBAVERI  
MDCCCLXXXII

ИИИАМПЕР. ЗАДА

ЗАМЕЩЕНИЕ СУДОВОГО ДЛЯ

СО

ИУПРИКЛЕНУМ

ОТЛАТИЯНИЕ

ВАЛАН

ИСЛОДОВАНИЕ СЛЕДОВ

ЛІТЕРАРУМ



VIRO EXCELLENTISSIMO  
AMPLISSIMO

C. G. K.

L. L. E. PÜTTMANNVS

S.

De fenum vetularumque nuptiis  
sententiam a te, VIR EXCEL-  
LENTISSIME, rogatus rem, ut soleo,  
ab vtraque parte sedulo diligenterque  
coepi considerare. Initio quidem,

A 2

animo

animo mecum reputans, in finibus  
matrimonii a plerisque mutuum etiam,  
quod vocant, adjutorium numerari,  
nuptiis a senibus vetulisque contractis  
contrahendisque vindicias parabam,  
eaque in re adeo mihi placebam, ut  
magnam ab eiusmodi personis gratiam  
me initurum esse sperarem. Enimuero  
mox, παραιδοξον me scribere, animad-  
vertens haud dubitavi, quin scriptio  
mea perfecta quantocuyus mihi: En ζυλον  
περισσον occinas. Quare mutato consi-  
lio vertere stilum, remque, vti est, edif-  
ferere satius duxi. HABES igitur meam  
V. E. sententiam, quam si calculo **TVO**  
probaueris, erit sane, vnde mihi gra-  
tuler, quoque me contra aliter sentien-  
tium iudicia facile tuear. Sin aliud  
**TIBI** visum fuerit, quidquid huius est,  
pro non scripto haberi volo. Quomo-  
docunque autem res ceciderit, vehe-  
men-

menter te rogo, nulli haec rumineris  
 mulieri, ne, si id forte nonnullae resci-  
 verint vetulae, aut in caput mihi inuo-  
 lent, aut malis suis carminibus (quae  
 quidem valde timeo) in necem meam  
 vtantur. A senibus nuptias meditanti-  
 bas nihil omniho metuo, plane persua-  
 sus, plerosque saltem eorum magnam  
 mihi habituros esse gratiam, quod mo-  
 nitor ipsis exstiterim, fecerimque, ne  
 mox cum *Iuuiali* dicant:

*Certe sanus eras! Vxorem, Posthume,  
 ducis?*

*Dic, qua Tisiphone, quibus exagitare  
 colubris?*

*Ferre potes dominam saluis tot resti-  
 bus ullam,*

*Cum pateant altae caligantesque fe-  
 nestrae:*

*Cum tibi vicinum se praebeat Aemili-  
 us pons?*

Ceterum, cum te poetarum quoque auctoritate haud parum moueri intellexerim, in calce huius libelli carmina quaedam, meae quae suffragantur sententiae, addere haud superuacuum duxi.

**T**V, v. e. bene vale, meque amare  
numquam desine. Sc. *Lipſ. iſſis Cal.*

*Decembr. MDCCCLXXXI.*



DE

# NVPTIIS SENVM.

QVINTILIANVS

DECLAM. 306.

EST QVAEDAM ETIAM NV-  
BENDI IMPUDICITIA.

**P**leni sunt veterum aequa recentiorum  
poetarum philosophorumque libri dicte-  
riorum scommatumque in eos sparsorum, qui,  
eim iam alterum pedem in tumulo habeant,  
nilominus adhuc Veneri litant, cumque  
mortem cogitare debeant, etiamnum amor-  
bus suis occupantur. Cui ignotum illud

OVIDII Amor. I. 10.

*Quae bello est habilis, Veneri quoque con-  
uenit actas,*  
*Turpe senex miles, turpe senilis amor.*

A 4

Quis

DE

**Quis apud TIRVLLVM I. 7.** non legerit:

*Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,  
Dicere nec cano blanditias capiti,*

itemque, MARTIALIS quod ait III. 93.

*Cum tibi trecenti consules, Vetusilla,  
Et tres capilli quatuorque sint dentes,  
Audes ducentas nuptum ire post mortes,  
Virumque demens cineribus tuis quaeris  
Prurire, — — — —  
nec non illud, nescio cuius:*

*Militat in teneris annis amor, hospes amo-*  
*nus,*

*Ast in canitie ridiculosa Venus.*

Sane nostris etiam temporibus haud desunt,  
in quos optime conuenit illud **PLAUTI**  
**Aul.** IV. 4. 15.

*Laruae hunc atque intemperiae insaniaeque  
agitant senem,  
quibusque iure possis occinere verba **OVIDII**  
**Fast.** I. 413.*

*Te quoque, inexstinctae Silene libidinis,  
supinus tenet frons vrrunt.*

*Nequitia est, quae te non sinit esse senem.  
Est scilicet is plerorumque hominum mos, ut  
plus de facultatibus suis sperent, quam reaſe  
in illis est, oppidoque sunt pauci, qui vel in  
tempore contrahentes cum **HORATIO** Cirm.  
IV. 1. dicant:*

*Non*

Non sum, qualis eram bona<sup>e</sup> in munib<sup>u</sup>lo  
 Sub regno Cynarae: desine dulcium<sup>u</sup>  
 Mater sacra Cupidinum,  
 Circa lustra decem flectere mollibus<sup>u</sup>  
 Iam durum imperiis. —

Sapienter olim LYCVRGVS teste XE-  
 NOPH. de Rep. Laced. Cap. I. §. 6. ademta  
 potestate, ne quiuis vxores ducerent, cum  
 ipsis libitum esset, iussit, vt, dum vigerent  
 corpora, matrimonia contraherent, idque non  
 minus ad reclam procreandi rationem condu-  
 cere putabat. Eadem sententia fuit ARISTO-  
 TELIS Polit. Lib. VII. c. 16. Cura gerenda  
 est circa coniugium, quando et quomodo quos-  
 dam oporteat contrahere inter se matrimoniale  
 consortium. Legem autem ferri fas est re-  
 spiciendo ad hanc coniunctionem, et ad ipsos et  
 ad tempus, quod viuendo attigerunt, vt aeta-  
 tibus conueniant quoad tempus, nec discrepant  
 vires, marito quidem generandi facultatem  
 habente, uxore haud valente, aut hac valente,  
 marito incepto. Haec enim seditiones iniicem  
 mouent et discordias, nec non PLVTARCHI  
 in Solon. In ciuitatibus non permittenda illa  
 confusio, nec circumspiciendae coniunctiones  
 intempestiuae et nullum opus nuptiale habentes,  
 neque finem. Haud minus Romani in iure  
 connubiorum regundo finibusque iis praescri-  
 bendis occupati fuere, quo praecipue Lex Pa-  
 pia Poppaea, itemque SCta Persicianum,

A 5 Clau-

Non

*Claudianum et Calujianum* pertinent. Sexagenariorum scilicet et quinquagenariarum nuptias iam Lex Pap. Poppaea prohibuit, ut ipse in l. 27. C. de nupt. testatur IVSTINIANVS, Sancimus, inquiens, nuptias, quae inter masculos et feminas maiores vel minores sexagenariis vel quinquagenariis Lege Iulia vel Papia prohibitae sunt, rel. cui etiam suffragatur fragmentum SENECAE ap. LACTANTIUM Inst. I. 16. Quare apud poetas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? Vtrum sexagenarius factus est, et illi Lex Papia fibulam imposuit<sup>a)</sup>? Cum autem imperfecta tantum esset haec lex, sub TIBERIO SCto Persicano sanctum est, ut sexagenaria et quinquagenariae nuptias contrahentes coelibum poenis, perinde ac si matrimonium haud iniissent, tenerentur. En verba VLPIANI Fragm. Tit. XVI. §. 3. Qui intra sexagesimum vel quae intra quinquagesimum annum neutri legi paruerit, licet ipsis legibus post hanc aetatem liberatus esset, perpetuis ta-

men

- a) Paulo quidem aliter IAC. PERIZONIVS in diff. de Lege Voconia (inter eius diff. cura HEINECCI L. B. 1740. edit. p. 175.) et ipse HEINECCIVS in Comm. ad L. Iul. et Pap. Popp. p. 152. nec non I. A. BACHIVS in diff. de Lege Iulia Miscella §. 8. in eius Opusc. p. 209. sq. Nobis autem in agis placet sententia H. I. ARNTZENII Miscellan. Cap. 7.

men poenis tenebitur ex SCto Persiciano. Mutauit hoc postea quodammodo CLAVDIVS  
 Imp. vt refert VLPIANVS l. c. Sed Claudio-  
 no SCto maior sexagenario, si minorem quin-  
 quagenaria duxerit, perinde habebitur, ac si  
 minor sexaginta annorum duxisset uxorem,  
 ideo scilicet, quod sexagenario quinquagenaria  
 minorem ducente haud omnis spes sibi  
 decollasse videbatur. Tandem, ne vetula  
 L. annorum maritum sexagenario minorem  
 sibi adseceret, intercessit SCtum Caluisianum,  
 de quo itidem VLPIANVS l. c. §. 4. Quod  
 si maior quinquagenaria minori sexagenaria  
 nupserit, impar matrimonium appellatur, et  
 SCto Caluisiano iubetur non proficere ad capi-  
 endas hereditates et legatas dotes. Itaque  
 mortua muliere dos caduca erit. Sed haec  
 omnia vna quasi litura deleuit, liberrimamque  
 matrimonii potestatem fecit IVSTINIANVS  
 in all. l. 27. C. de nupt. his verbis: Sancimus  
 nuptias, quae inter masculos et feminas maio-  
 res vel minores sexagenariis vel quinquagenariis  
 lege Iulia vel Papia prohibitae sunt, homi-  
 nes volentes contrahere, et ex nullo modo vel  
 ex nulla parte tales nuptias impediri. En cor  
 Zenodoti, en iecur Cratetis! Quasi scilicet  
 nihil vidissent omnes, qui ante ipsum fuerant,  
 philosophi aequae ac legum latores. Erat bo-  
 nus ille Imperator maritus admodum vxorius,  
 plus aquo deferens consiliis THEODORAE,  
 quae

Sexa-  
 arum  
 , ut  
 NIA-  
 e in-  
 nores  
 Julia  
 sus-  
 TAN-  
 acissi-  
 trum  
 fibu-  
 rfecta  
 SCto  
 quin-  
 libum  
 ad in-  
 A N I  
 cagesi-  
 num  
 egibus  
 uis ta-  
 men  
 NIVS  
 iff. cu-  
 . 175.)  
 ad L.  
 A. BA-  
 a §. 8.  
 autem  
 TZENIT

quae non modo ipsa passim male audit ob im-  
pudicitiam, sed nimis etiam fauit indulxitque  
sexui suo <sup>b)</sup>.

Quidquid autem sit, hodie plerisque cer-  
te locis permissae sunt senum vetularumque  
nuptiae, idque sine discrimine, senex vetu-  
lam, an puellam, vetulaque senem, an iuu-  
nem sibi matrimonii vinculo copulet. Audi,  
**CARPZOVIVM** in *Iurispr. Ecclesiast. II. 13. 23.*  
*Quae etsi ita se habeant, non tamen indiffe-*  
*renter coniugia senum praesertim cum feminis*  
*mediocris aetatis dissuadenda, multo minus*  
*cum iuuenculis iam contracta dissoluenda sunt.*  
*Cum enim coniugii ineundi causae et contrahen-*  
*tium personarum conditiones atque aetatum*  
*differentiae plurimum varient, non potest ge-*  
*neralis quaedam regula, vel prohibitio genera-*  
*lis praescribi.*

Sed politicorum quaeso paulisper indua-  
mus personam, et non tam, quid licet, sed  
quid deceat, quidque expedit et reip. salutare  
sit, videamus.

Triplex vulgo matrimonii esse dicitur  
finis, liberorum puta procreatio, mutuum  
adiutorium, honestaque libidinis extinctio.

Quod si  
<sup>b)</sup> Conf. ABR. WIELINGII *Schediasm. ru-*  
*multuar. de Justiniano et Theodora Augustis.*  
*Franequerae 1729.*

Quodsi iam ex his finibus nullum a senibus matrimonium contrahentibus obtineri, praetereaque ex eorum nuptiis multum damni et incommodi non modo in ipsos eorumque familias, sed in remp. etiam redundare ostendero, quis quaeso tunc senum vetularumque connubia improbare mecum auersarique dubitabit?

Ac primum quidem apud omnes fere in confessio est, masculos septuagenarios feminasque quinquagenarias liberis procreandis haud amplius sufficere, sed ea aetate naturam ipsam huic operi fibulam quasi imponere. Iam ARISTOTELES Polit. VII. 16. dixit: *Definitus finis generandi facultatis (vt plurimum dicendo) septuaginta annorum numerus viris ultimus est, quinquaginta autem feminis* <sup>c)</sup>, idque vel ipsa experientia satis testatur atque confirmat. Sed finge, naturam solitos interdum egredi fines et se ipsam quasi superare, sunt profecto eiusmodi exempla plane singularia atque rarissima, legillatores autem non id, quod ἄναξ ή δις accidit, respicere, sed eius poti-

c) PLINIVS H. N. Lib. VII. c. 9. *Mulier post quinquagesimum annum non gignit, maiori parti quadragesimo profluuium genitale sifflitur.* Ita etiam in l. 21. pr. D. de act. emt. ancilla maior annis quinquaginta *sterilis*, in l. 12. C. de legit. hered. autem quinquagariae partus *mirabilis* dicitur.

potius, quod plerumque fit, rationem habere peruulgatum est. Finge porro, septuagenarii iamiam vietii et veterosi vxorem reapse grauidam fieri, suumque maritum paruulo exhilarare Aenea. Quis sponsor erit, illum ipsum huius filioli parentem esse, malumque vicinum, aut quemcunque alium arua aliena haud irrigasse? Qui scis, annon is ipse amicus postea infelici marito illud **IUVENALIS IX.** 82. occinat?

*Nullum ergo meritum est, — — — mul-*  
*lum,*

*Quod tibi filiolus vel filia nascitur ex me?*  
*Tollis enim et libris actorum spargere gau-*  
*des*

*Argumenta viri. Foribus suspende coronas,*  
*Iam pater es: dedimus, quod famae oppone-*  
*re possis.*

*Iura parentis habes, propter me scriberis*  
*heres,*

*Legatum omne capis, nec non et dulce ca-*  
*ducum.*

Annon forte ipse filius, cum adoleuerit, vetus  
illud suum faciat:

Παῦσος, πατερικῆ τῇ δὲ κεκληθεῖ πάτερ  
Ἐπερ πέφυκά γ' ἐιδέ μή μείων βλάβη.  
Τὸ γὰρ νομίθεν τῆς αἰληθέας πρατεῖ.

Pau-

*Pausa, sat est, me hoc patre natum dicier,  
Natus tamen si sum; sin autem, obest pa-  
rum.*

*Nam veritate potentior est opinio.*

Quae cum ita sint, recte, ni fallor, i. e. HEBENSTREIT in *Anthrop. forens.* p. 623. *Ineptitudo gignendae sobolis detinere a matrimonio debet senes septuagesimo anno maiores, longissime sic proferens terminum, cum Romani aliique iam sexagenarios liberis procreandis impares esse existimauerint. Fac denique, septuagenario tantulum superesse virium, ut NASONIS monito: Sed laterine parce tuo, pax omnis in illo est, possit obtemperare, eiusque ex lateribus filius exeat, sperasne, eum fore vitalem, aut, si talis sit, futurum esse haud tam debilem, quin tota vita imbecillitatis paternae notas praeferas manifestas? Taceo iam, patre septuagenario brevi post mortuo, (quot enim quaeso nostris temporibus ad octuagesimum usque aetatis annum perueniunt?) parvulum hunc filium orbum fieri, maximumque ei aut malo a tuto, aut peiore a vitrico imminere periculum. Praeclare nuper quidam vir sapiens, cum iam quinquagenarius, cur uxorem hand duceret, interrogaretur, *Quid inquietebat, putasne me ad Nestoris annos peruenturum esse?* Et si hac demum aetate annum*

num

mum ad rem vxoriam appellerem liberosque procrearem, quid quæsō his ipsis post mortem meam cœnturum esse existimas? Ego sane religioni mihi duco, liberos procreare, quos educare haud possim. Sapienter SENECA de Benef. III. 31. Ad bene viuendum minima portio est, viuere, paucisque interiectis: Vis scire, quam non sit magnum beneficium, vitam sic dare? Exposuisses. Nempe iniuria erat, genuisse. Quo quidem colligo, minimum esse beneficium patris matrisque concubitum, nisi accesserint alia, quae prosequerentur hoc initium muneris, et aliis officiis ratum facerent.

Sed sufficient, spero, haec, quod ad primum matrimonii finem attinet. Ad alterum igitur, mutuum puta adiutorium, age transcamus. Ego vero, hoc quoque senes vetulasque nuptias contrahentes excidere, non modo persuasissimus sum, sed, me etiam alios facile in hanc sententiam pertracturum esse, confido.

Tu, qui senex iam factus animum ad matrimonium appellis, aut vetulam ducis, aut viridi adhuc aetate feminam. Si prius, tantum abest, vt Sibylla tua opem tibi ferre auxiliumque praestare possit, vt potius ipsa opera tuoque auxilio, quam quae maxime, indigeat. Cum te artuum dolor malaue podagra lecto affixum tenebit, vxor tua aut sple-

ne

ne aut stomacho laborabit, alioue morbo decumbet. Cum tu de pedibus tuis querelas tolles, illa dentibus aut oculis suis male preccabitur. Egregia vero cantilena, quae non modo aliorum aures male verberet, sed vestro etiam infortunio maximum cumulum addiccat! Sin iuuençulam aut florente aetate mulierem tibi matrimonio copulas, falleris miser, si opem eius tibi promittis atque auxilium. Cum tuus te macerabit morbus, illa

*alium*  
*d)* Festiuæ magis, quam vere rex quondam Arragoniae ALPHONSVS SAPIENS dixit: Que pour faire vn bon mariage il falloit, que le mari fut fourd, et la femme aveugle. Cheuraean. II. 252. Idem in mentem venit ANTONIO PANORMITAE, qui interrogatus, quibusnam maxime rebus ad rem vxoriam jucunde concorditerque agendum opus esse duceret? sumto a frequentia ac magnitudine molestiarum, quae in vita coniugali contingunt, argumento, duobus opus esse respondit, scilicet, ut vir aurium surditate teneatur, vxor autem oculis capta sit, ne videat haec, quae a marito intemperantius fiant, maritus contra, ne obgannientem assiduo vxorem domi audiat Conf. BAYLII Dictionar. Tom. III. vbi de PANORMITA sermo est. De molestiis et oneribus coniugiorum 10. SARESBERIENSIS in Pollicario s. de nugis curialium (L. B. 1595.) Lib. VIII. cap. II.

B.

alium circumspiciet virum, facileque inueniet, qui ei praestet, quod ipse praestare haud potes, cuiusque ex amplexibus pro pauculis momentis, quae intuta tibi fortasse impendit, solarium petat.<sup>139</sup> Multo sane melius, quod facto opus erit, pro mercede tibi facient alii, quam vxor tua, quae cum, quocunque est tuum, iam suum esse existimat, nihil amplius a te neque sperat, neque expectat praeter horam, qua oculi tibi possint claudier<sup>c</sup>). Bene tecum agitur, si tibi haud repetenda est querela illa **D E M E A E** ap. **T E R E N T.** in **A d e l p h . V . 4 .**

*Duxi vxorem, quam ibi miseriam vidi! —*

*— meam mortem expectant scilicet,*

aut

• Vid. **Cheuræan.** Tom. II. p. 416. vbi inter alia haecce leguntur verba: Si vous avés besoin d'être secouru, ou les parens, ou les amis, que vous avés obligés, ou vos domestiques, par affection ou par intérêt, vous rendront incomparablement plus de service, qu'une femme, qui s'est mise au dessus de certains devoirs. Nolo iam inquirere, verumne an falsum sit, quod scriptor quidam ait gallicus, (non vñus de multis, sed qui cogitat, vt **A R I S T O T E L E S**, et scribit, vt **C I C E R O**): Le sacrement n'apprend point à aimer, il veut seulement, qu'on se laisse aimer. Hoc autem firmiter credo mihique persuadeo, male agere, qui ad nuptias prouolant, quas infaustas infortunatasque fore facile possunt persentiscere.

aut si tibi haud occinit Penelope tua, quod  
IOBO olim oclamabat vxor: *Age sane Deo  
gratias et morere!*

*Triumuir trinas propter nuptias quon-  
dam dictus est THEODOR. BEZA, dignus,  
in quem, referente PATINO, (in *Patinianis*  
p. 49.) PASQVIERIVS hocce iuderet Epi-  
grammate:*

*Vxores ego tres vario sum tempore nactus,  
Cum iuuenis, cum vir factus, et inde  
senex.*

*Propter opus prima est validis mihi iuncta  
sub annis,*

*Altera propter opes, (ohe! iam satis erat,)   
tertia propter opem.*

Eleganter CATULLVS Carm. 68.

*Nulli se dicit mulier mea nubere malle,  
Quam mihi; non si se Iupiter ipse petar.*

*Dicit: Sed mulier cupido quod dicit amanti,  
In vento et rapida scribere oportet aqua.*

itemque TIBULLVS I. 9.

*— Nec tu, stultissime, sentis. —*

*Tunc putas illam pro te disponere crines,*

*Aut tennes denso pectere dente comas?*

*Non tibi, sed iuueni cuidam vult bella videri;*

*Deuoueat pro quo remque domumque  
tuam.*

*Nec facit hoc vitio, sed corpora foeda pos  
tagrā*

*Et senis amplexus culta puella fugit.*

Nec silentio praetereundum est, senes per nuptias cum iuenculis initas, dum aetatis suae obliti intemperantius puellaribus indulgent amplexibus, mortem sibi plerumque accersere, quam in rem illustria nonnulla exempla protulit LEYSERVUS Sp. 297. med. 9. Quid? quod eiusmodi matrimonia ipsis etiam iuenculis haud raro funesta sunt et contagiosa, quam in rem itidem vid. LEYSER. l. c. haud inepte hic transferens verba VIRGILII Aen. VIII. v. 485.

*Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,  
Componens manibusque manus, atque oribus, ora,*

*— et sanie tabeque fluentes*

*Complexu in misero longa sic morte necabat.  
Restat, vobiscum etiam, aniculae, quibus scapulae pruriunt, verba faciam. Vos quoque haud raro clamare audio:*

*Hymen o Hymenae, Hymen ades o Hymenae!*

*En adest! — Sed nec sollemnia verba,*

*Nec laetos vultus, nec felix attulit omen.*

*Adest, sed, ut apud OVIDIVM Met. X. 1. legitur, croceo velatus amictu, quod, nisi me omnia*

omnia fallunt, auruginem, s. morbum regium, et nescio quae alia mala vobis portendit. Fallimini profecto, miserae, si adolescentem aliquem vos ipsas ducere existimatis. Non vos dicit, sed nummos vestros, sed aedes et vineas vestras. Harum potens factus aut foras quaerit, quod apud vos haud inuenit, aut, cum HORATIO turpe haud putans amare ancillam, huius in amplexus ruit et ancillarius fit. Vae vobis, si vel tantillum hiscere contra audetis! Tunc illicet, actum est! Quantumuis sana sitis mente, mox vobis, tamquam mente captis, in ergastulum erit ambulandum, quod accidere nonnumquam videimus aniculis intemperantibus ac libidinosis.

*Et clamant Merito! qui modocunque vident.*  
Facile autem, si mens vobis haud laeva fuisset, praesentire omne hoc infortunium vestrum potuissetis. Vix enim alter euenire potest adolescenti anum ducente decrepitam, quae tantum videt, quantum noctuae vident mane, et illud olet, quod viri olen capellariū. Eleganter PARMENON in *Antholog.*  
*graec. a I. I. REISKIO edit. p. 257.*

Λιμές ναὶ γεόντις χαλεπή κρίσις. αἴργαλέον

Πεινὴν, ναὶ κοίτη δὲ εἰς ὀδυνηροτέρα.

Πεινῶν ἔυχετο γραιῦν, κοιμάνενος ἔυχετο

Φυλλῖς. οὐδὲ αἰλῆς παιός αναμαλίν.

*Difficilis inter famem et anum optio. Durum quidem est esurire, at multo acerbius cum anu dormire. Cum adhuc esuriret Phyllus, optabat sibi coniugium diuitis annis contingere; cui ex quo accubat, optat pristinam egestatem. Vide mihi quaeſo infeliciſ iuuenis inaequalitatem f).*

Ne

*f) Evidem meum facere nolim vetus illud: Femina nulla bona est, et si bona contigit vlla,*

*Nescio, quo faro res mala facta bona est.*

*Idem tamen nec iuueni, vt anum ducat, nec anui, vt iuueni nubat, auctor suasorumque sim, certissime persuasus, breui fore, vt sibi iuicem dicant:*

*Lupis et agnis quanta sortito contigit,*

*Tecum mibi discordia est, cuiusmodi matrimonia Auctor libri: Der Mann und die Frau im Ehestande betrachtet, (Lips. 1777.) p. 331. connubia vocat peplo atro operta. sub quo diuidia, taedium atque discordiae lateant. Videſis, quae diximus in diff. de friguscule (Aduersar. Lib. II. cap. 1.)*

*Est etiam, qui iuuenes, anus (quam certe pleraque admodum viuaces sunt) ducentes, similes esse ſcribat iis, qui in lapidem ſeminent, vbi radices agere, quod feritur, haud poſſit. Facilius ſane parit puella ſeni in matrimonium collocata, quam anus, in iuuenis amplexus ruens. Notum prouerbiū: Parit puella, etiamſi male adſit viro. Puella, inquit ERASMVS*

*Adag.*

Ne vero diutius vos morer, ad tertium tandem matrimonii sineim, honestam scilicet libidinis extinctionem, veniamus. Quae vero Dii Deaeque! honesta esse potest libidinis extinctio in sene depontano et septuagenario, vetulaque,

*Rugosorem quae gerit stola frontem,  
Et aranearum cassibus pares mammas e?)?*

## B 4

Sane

*Adag. II. 7. 30.* propter aetatis felicitatem facile gerit veterum, etiam si cum viro non admundum viro rem habuerit. Non item anus: immo bis virum requirit aeras affecta mulieris. Ea res nec Augustinum fugit theologum. Nam quæfitionem, quod Abramam, auctore Paullo, Sarae effoetus ex Cethura tamen prolem sustulisse legitur, sic explicat, ut dicat, illum Sarae anni effoetum fuisse, Cethurae pueræ virum. De nuptiis veterarum C H R. F A L S T E R V S in Amoen. philolog. Tom. I. cap. 28. Conf. etiam C. V G R V P E N: *Quod melius sit virginem ducere, quam viduam.* Frane. et Lips. 1752.

g) Quid quaeso magis ridiculum est anu, quae, et si luridi ei sunt dentes, et si rugae eam turpant et capit is niues, totaque in cinerem fere iam dilapsa est facies, adhuc tamen, haud secus ac Lyce illa Horationa, formosa videri vult? Grauiter apud LVCIANVM dialog. deor. 12. VENVS CVPIDINI: *Tu, audacissime, Rheam etiam ipsam, iam vetulam et matrem tuorum deorum, impulisti, ut puerum amet, Phrygiumque istum adolescentulum*

Sane ipsos ipsasque si quis interrogauerit, an libidinis extinghenda causa matrimonium ineant, haud credo, eos easue tam perfictae frontis fore, ut tantae intemperantiae reos reasue se profiteantur. *Egregie CICERO de Offic. Lib. I. cap. 34.* Luxuria cum omni aetati turpis, tum senectuti foeditissima est. Sin autem libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est, quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam. Ita vero, ni fallimur, praestitimus, quod initio prohmissimus, clarum scilicet fecimus atque perspicuum, nullum matrimonii finem obtineri senum vetularumque nuptiis posse<sup>b)</sup>.

Sed tulum appetat. Nunc illa furit opera tua, rel. Hand male. *ERASTVS de Lamiis p. 113.* Quis non nouit, plurimas anus vehementius inmoribus quibusdam prurire? Quam multas banc ob causam cernimus adolescentibus et iuuenibus robustis nubere, adeoque connubia haec multo aere emere? Hinc proverbio apud nostros factus est locus: *Vetus capras libentius lingere tales iuuenulis.* Graphice anum libidinosam depingit *HORATIVS Epod. 12.*

*b)* Equideum libenter ex iis, qui in iungendis se tuagenariis quinquagenariisque sollempne illud carmen *Crescere et multiplicamini* recitant, quaererem, quo animo quaue fronte id faciant. *LVTHERVS in Colloqu. mens. sub Tit. v.* Chestande festiue senum nuptias ein

Sed eruunt fortasse, qui dicant, haud inuidendum eiusmodi esse hominibus, si miseri esse, proprioque, ut ita dicam, equo suum sibi infortunium aduehERE velint. Evidem haud repugnarem, nisi inde simul ad eorum gentes atque familias, quin ipsam rem publ. damna et incomoda maxima redundarent. Nonne enim eiusmodi senes ac vetulæ, ut conditionem nubendi inueniant, amorem mercantur, suosque liberos aut cognatos proximos futura, quae lege iis debetur, hereditate frustrantur, bonaq[ue] sua indignis addicunt personis, quae aut aës inde soluunt alienum, aut nullum expensarum modum finemque facientes bona inhoneste quaesita turpiter abliguriunt? Et cum denique membris reipubl. laborantibus ipsa recte valere hand posset, quis quaeso dubitabit, senum vetularumque nuptias publice etiam noxiās, nec facile tolerandas, sed, quantum eius fieri potest, impediendas esse<sup>i)</sup>. Evidem, si res mei

B 5 esset

ein häßliches Spectacul appellat. Conf. etiam auctor anonymous libelli Ueber die Che (Berlin. 1776.) p. 234.

i) Multum reip. interesse, ciuium matrimonia felicia sint, an secus, eamque ob causam legislatores curam nuptiarum praecipuam habere debere, nemo, nisi artis rem. bene administrandi plane ignarus, dubitat. Apud Lacedaemonios adeo teste

POL.

esset arbitrii, aut plane eas prohiberem, aut eos saltem, qui septuagenarii, nec non eas, quae quinquagenariae ad matrimonium conuolarent, tamquam intemperantiae manifestae reos reasque, iure super bonis suis disponendi multarem, qua re facile fieret, ut, demta alienis bonis per eiusmodi nuptias potiundi spe, hae ipsae breui cessent penitusque aboleantur. Sapienter aliquot abhinc annis

**POLLUCE** in *Onomast.* et serotini et male conciliati matrimonii (*οὐγαρίου καὶ πυνογαρίου*) accusationes poenaeque publicae proditae erant. Vid. **HEINECC.** *Comm. ad Leg. Iul. et Pap. Popp.* p. 23. Ipse **CICERO** male audit, quod iam sexagenarius multo que aere alieno obrutus **PUBLILIAM** pupillam duxerit vxorem, maxime cum ideo hoc fecerit, ut eius facultatibus aere alieno se liberaret. Vid. **DION. CASS.** *Lib. 46.*  
**PLUTARCH.** in *vit. Cic. QUINTILIAN.* *Inft. Orat.* *Lib. VI. cap. 3.* **IO. ORTW. WESTENBERG** in *Diu Marc.* p. 389. Tu quidem, **TVLLI**, te eam ob causam obiurgantibus, eras mulier erit, reponebas. Sed fortasse ipse etiam plus de facultatibus tuis, quam in illis erat, sperabas. Sane tu quoque fecisti, ut intelligamus, verissimum esse, quod dici solet, senectutem ineptiarum haud omnino expertem esse. Exempla quaedam senum libidine et intemperantia insignium refert **I. N. ERYTHRAEVS** (vero nomine **IO. VICT. ROSCIUS**) in *Pinacoth. imag. illustr.* p. 140.

in *Lusitania* lege sancitum est, ne mulieres annum aetatis quinquagesimum egressae ad novas prouolent nuptias, idque eam ob causam, quod experientia docuerit, saepe fieri, ut, cum iuuenibus nubant, non modo infelicia inde existant matrimonia, sed mariti etiam vxorum bona magno cum totius familiae incommodo dilapident <sup>k)</sup>). Interdum vel paruo consilio reduci in viam possunt, quibus amor oculorum aciem praestrinxit <sup>l)</sup>.

Ita

*k)* In *Ephemer. Lips. Mens. Aug. 1773.* legebatur: Der König v. Portugall hat ein Edict ausgehen lassen, kraft dessen allen Wittwen, die bereits 50. Jahr alt sind, verboten ist, sich wieder zu verheyrathen, weil die Erfahrung lehre, daß Frauen von dergleichen Alter gemeinlich solche junge Männer heyrathen, die keine Mittel haben, und diejenigen Güter, welche sie durch dergleichen Heyrathen erlangen, zum Nachtheil der Kinder und nächsten Verwandten ihrer Frauen verschwenden.

*l)* S. F. WILLENBERG in *Select. iur. matrimon. p. 443.* *Quamus seni via ad matrimonium praecaudi nequeat, semper tamen ipsi deliberaendum est, quid agat, ne postea facti ipsum poeniteat, cum ad finem matrimonii obtinendum non amplius habilis sit, et ab eius cessatione multis se in commodis exponat.* — *Nam fere inhabilis factus ad mutuum amorem uxori exhibendum saepenumero causam dat cornigerio, maxime si eo prolapsus sit, ut iuuenclam coniugem sibi elegerit, quae non ex dignitate perso-*

pae



Ita, cum nuper nonnemini nunciatum esset,  
eius amicum, proiectae aetatis virum, secun-  
das meditari nuptias, breuique fore, vt de-  
nuo matrimonii iugo caput submittat, ille  
misertus amici, quem in secundo matrimonio  
haud feliciorem, quam in primo fuerat, fu-  
turum esse animo facile poterat praesagire;  
paruae chartae hos HORATII (*Carm. I. 14.*)  
versus:

*O natus, referent in mare te noui  
Fluctus? o quid agis? fortiter occupa*

*Portum!*

inscripsit, et quantocvus ad amicum suum  
transmisit. Nec prospero hoc consilium caru-  
it euentu. Is enim lectis his verbis, reque  
diligentius perpensa, confessim aeditum ad-  
it,  
et amore pecuniae eius cum ipso matrimo-  
nium contraxit. Vetus est paroemia: Ein  
alter Mann, ein junges Weib, gewisse Kinder,  
de qua HERTIVS in *Paroem.* De senibus  
acheronticis, mulierum amatoribus, noxio-  
que cum yetulis commercio HENR. SAL-  
MUTH ad GVID. PANCIROLI rer. memo-  
rab. P. II. p. 187. sq. Conf. etiam C. PH.  
HOFFMANN de matrimon. sexagenar. cum  
quinquagenar. Lips. 1722. idemque de aetate  
juuenili contrahend. sponsal. ac matrimon ido-  
nea, ib. 1743. nec non Cel. I. F. EISEN-  
HARTI *U. h.* von der Ehe zwischen einer junz-  
gen Mannsperson und einer alten Frau, in eius  
kl. Schrift. P. I. p. 125. sq.

It, bannumque ecclesiasticum, quod ante postulauerat, deprecatus est, ceterum autem amicorum hortatu non modo puellae, cui fidem matrimonii dederat, damnum consilij mutatione datum resarcuit, sed iis etiam quibus iura debentur stolac, ne quid ea re detrimenti caperent, sportulas sacras persoluit. Egregie quondam THALES, cum eum mater ad ducendam virgineret vxorem, Atqui, inquietabat, nondum tempestivum est; prouectiore autem aetate, cum acrius insisteret, Tempus, dicebat, iam praeteriit <sup>m</sup>). In eandem sententiam MICIO ap. TERENT. in Adelph. V. 8.

— Satin sanus es? Ego  
Nouus maritus anno demum quinto et sexagimo  
Fiam, atque anum decrepitam ducam? Id  
que estis auctores mihi?

Nec minus veteres sapiebant Germani, teste  
TACITO in Germ. Cap. 20. Pares, inquieten-

tc,

<sup>m</sup>) ELISABETHA, Angliae quondam re-  
gina, petente Parlamento, ut aut nuberet,  
aut futurum in regno successorem sibi eli-  
geret, respondisse fertur, se aetate iam es-  
se maiorem, quam vt de matrimonio con-  
trahendo, minorem autem, quam vt de te-  
stamento condendo sibi cogitandum sit.  
*Chearaean, Tom. I. p. 72.*

te, validique miscentur, ac robora parentum  
liberi referunt<sup>n)</sup>). Eheu!

Dannosa quid non imminuit dies?

Vereor sane, ne, si tu renuisceres, CORNELI,  
nonnullis locis Germanos in ipsis Germanis  
quaereres.

n) Ne minoris aetatis viris maiores despon-  
sentur feminae, prohibit Lex *W*isigoth. III.  
l. 4. in Corp. iur. germ. ant. a P. GEOR-  
GASCH edit. p. 1918. Conf. Cel. F. C. I. FI-  
SCHERI Comment. über d. Probenächte der  
deutschen Bauernmädchen p. 14. sq.

MAN-

22

MADRIGALISI  
ELEGIA  
PRO XMORE MANTIS  
PATERUS OBEMATIVS  
QUAM VERA CVM ALIMENTIS  
PARVITIS abet  
**M A N T I S S A.**

Qui duxit ait in domo tuae amico  
Hic oris tuorum ciborum simulato fallit se esse.  
Ecce nos prohibet vel embriare nos,  
Vel virginem se faducialis cogoram,  
Quia nescio. Post ardore corpus ait  
Infelix homo credidit quibus ientisque recedit,  
Contra te tristus et incubuisse fesset.  
At pueri tamquam ab initio natus  
Ate viuunt potius preferuntur, voces  
Infracti expletis, submutienturque inservi.  
Omnibus in vocem plus est per nos,  
Silencio cum iaceat porata sonus.

Audilano roris exhibens a modis  
Si quis te tem (pro tempore falso effectione sed)  
Dicitur teat, etiam puerum puerum.

ALLEGORIA

C

Ex.

А Г Г И Т И А М

## I.

## HADR. VALESII

## ELEGIA

## DE AMORE SENILI

EX EIVS POEMATIBVS

QVAE VNA CVM VALESIANIS

PROD. PARISIIS 1694. P. 38.

**F**elix, si qua senem sua sub iuga femina  
misit,

Et resides artus in noua bella mouet.

Illa quidem miserum simulato fallit amore,

Deque sua prohibet vel dubitare fide.

Vni virgineum se substrauisse pudorem,

Florem vni, soli dedere corpus ait.

Infelix haec credit amans laetusque recedit,

Contentus triduo concubuisse semel.

At pellex famulo absentis miscebitur audax

Nec viduas noctes praeteriisse volet.

Intrabit caelebs, admittenturque mariti:

Omnibus in venerem plus erit vna satis.

Splendida cum iuuenum peraget coniuicia

pube,

Nulli non iussis exhibitura modos.

Si qua oriens (ceu saepe solet discrimin'e tali)

Taetra lues certis pareat indicii,

C

Ira-

Iratum pellex vltro increpitabit amantem:  
 Cur aliam, dicet, non mihi fidus inis?  
 An venit a fana morbus? Meme adspice,  
 tange,  
 Si credis manibus luminibusque tuis.  
 Hoc nihil est tamen, et dabimus, qui te cito  
 sanum  
 Restituat nostro, dulcis amice, toro.  
 Frater erit, cognatus erit, qui culpet ineptum,  
 Et moneat famae consuluisse suae:  
 Qui iubeat meminisse Dei, meminisse decori,  
 Nec turpi vitam commaculare nota.  
 Talibus ut moestum monitis frigescere aman-  
 tem  
 Senserit, his dubium firmat amica modis.  
 Non equidem metuo, cogar ne sola cubare,  
 Neu peream, si me destituisse velis.  
 Haud deerit locuples iuuenis, sua qui mihi  
 cuncta  
 Offerat, atque vices optet obire tuas.  
 Non deerit, qui vel iusta sibi me face iungat,  
 Et cupiat propriam semper habere domi.  
 Sed leuis ingratique animi miseretque pudetque,  
 Cum durus fidam deseruisse paras.  
 Tun' caelebs viues? Tibi subducetur amica?  
 Qua nec, si libeat, care, carere queas.  
 Fratribus ut placeas, placito pugnabis  
 amoris?  
 Hi sunt, qui tua iam spe bona cuncta  
 vorant.

De-

Despice sermones, linguarum verbera temne,  
Queis leti valeat nec dare frena timor.

An quot amicitia, quot habes tibi sanguine  
iunctos,

Tot curatorum vis et habere loco?

Non tu liber eris, tibi quod fraterue soror-  
ue est?

Vita tua arbitrii non erit ipsa tui?

Quid tibi cum tetricis senibus, queis vita per-  
aeta est

Iam sua? qui cuperent posse, quod ipse  
potes?

An cures, de te quid plebs insana loquatur?

Quae nil, quod dicat, ni maledicat, habet.  
Inuidet infelix cunctis de more beatis,

Inque suis numerat gaudia vestra malis.

Viue, vale, partis opibus non vtere parce,  
Et fruere aetatis robore, care, tuae.

Eccur me dubites vxorem ducere? curue

Legitimi nequeam parte iacere tori?

Jungit blanditias verbis, dat et oscula pellex,

Atque procum vinclo mox grauiore ligat.

Non ego fieta cano. Noui doctumque ca-

tumque,

Emensum bissex iam prope lustra senem;  
Quem nec suppositus functi vice pignoris in-

fans,

Magna nec expertae crimina perfidiae,

Ipsa nec obsceni serpens contagio morbi,

Infidae veneris propudiosa comes,

C 2

Non

Non famae, non nummorum iactura suo-  
 ruin,  
 Mendacisque strophae, cognita furta, dolis,  
 Non monitus valuere boni ac sapientis amici  
 Turpis ab ancillae dissociare toro.  
 Interea funduntur opes. Nunc vestis  
 emenda,  
 Feria, natalis, vel nouus annus erit.  
 Pensio nunc instat non vnicā: nuncque su-  
 pellex  
 Mutanda, ut melius foeta pñella cubet.  
 Primulus infantī dens nascitur: En tibi nu-  
 trix.  
 Mille rogabuntur munera nominibus.  
 Dat iuuenis leges, non accipit: ille puellis  
 Imperat, hanc illa mutat, vbiique bene  
 est:  
 Iuris amans est vsque sui, quia dignus amari,  
 Et plus quam aureolis, quo capiantur, ha-  
 bet.  
 At senior seruit dominae metuitque repulsam,  
 Nil praeter nummos, quod cupiatur, ha-  
 bens.  
 Ergo, si qua volet felix regnare puella,  
 Mittat nummatum sub sua iura senem.

## H.

HADR. VALESII

## EPIGRAMMA

QVOD INSCRIBITVR

SENILIS AMOR

EX EIVS POEMATIBVS

p. 82.

**O** Asclepiadae, quid hocce morbi est?  
 Vnquamne, vsque adeone posse quemquam  
 Immutarier ex amore turpi,  
 Ut non noueris esse post eumdem!  
 Graecinus Latiae nitore linguae,  
 Nec Graiis minus inclitus Camenis,  
 Priscis historiisque ritibusque  
 Edendis simul editisque clarus:  
 Castus dum iuuenis fuit, seuerus,  
 Omne et feminineum genus perosus,  
 Prudens, suspiciosus, ac superbus,  
 Et famae decorisque curiosus,  
 Non expers pietatis, atque verax:  
 Post bissex senior peracta lustra,  
 Ancillae meretricis impudicae  
 Heu vilis famulus repente factus.  
 Mentum depositus simulque mentem

C 3

Ancil-

Ancillae in gremio libidinosae:  
 Quam non cernere caecus, aut adire  
 Ni ductu pueri iuuante possit,  
 Quam non nosse queat, nisi loquentem,  
 Aut tactu digiti periclitatam.  
 Riualem patitur suum ministrum,  
 Riuales iuuenes, senes, maritos:  
 Et flagrantior inde crescit ignis:  
 Dum, quod deperit impotenti amore,  
 Audet pluribus illud esse cordi.  
 Sed castam tamen, et sibi fidelem  
 Graecinus Megaram putabit esse,  
 Si iurauerit ipsa se pudicam.  
 Si quid frater, (vt accidit) propinqui,  
 Vel vicinia, vel monent amici;  
 Aures surdus habebit obseratas:  
 Formosam sibi credet hos puellam  
 Et faustam miser inuidere fortem.  
 Cunctis obstruet ora mentiendo,  
 Mi non cognita, vel relicta pridem est.  
 Non cura interea subibit vlla  
 Aut famae melioris, aut honesti:  
 Frigent Pierides, iacentque libri:  
 Profunduntur opes labore partae:  
 Et noti fugiuntur, et propinqui:  
 Numen cuncta vidensque vindicansque,  
 Ipsum temnitur imminentे poena.  
 O Asclepiadae, quid hocce morbi est?

III.  
FESCENNINA  
IN NVPTIAS IVVENIS CVM  
VETVLA  
EX CHR. FALSTERI AMOEN.  
PHILOLOG.

TOM. I. P. 125.

**Q**uo tibi nunc sensus, adolescens, quo tibi  
visum?  
**Q**uas epulas oculis nunc dabit ille tuis?  
**A**uditum posthac aut saeva tonitrua terrent,  
 Aut nugas illi fabula sponsa canit.  
**O**lfactum foetor torquebit et halitus oris.  
 Quam misere officium sic facit ille suum?  
**P**one modo gustum; vetula est Vénus absque  
 sapore.  
 Si sapor vellus erit, bilis is omnis erit.  
**D**e tactu taceo, qui non calefactus ab igne,  
 Sanguine concreto, frigore sponte perit.  
**S**i tamen hos sensus nativa libido titillat,  
 Progeniemque tibi si superesse cupis:  
**V**ae tunc ancillae! vereor quod Scipio fecit<sup>\*)</sup>,  
 Ne iubeas illam furta virumque pati.  
**M**acte tuo nido, non inuitante cucullum,  
 Non custodelae sollicitante fidem.

C 4

IV.

**•) Val. Max. VI. 7. 1.**

## IV.

EPIGRAMMA  
CELEBERR. POETAE GALLICI  
DESTOVCHES

EX EIVS OPER. TOM. IV. P. 311.

EDIT. QVAE HAG. COM. 1742. PROD.

**C**i git vn mari debonnaire,  
 Qui presque septuaginaire,  
 Et pliant sous le faix des ans,  
 Eut tout de suite quatre enfans.  
 Dont il croyoit étre le Pere,  
 En quoi (certes) il faisoit bien.  
 Très bien: mais Madame leur Mere,  
 Non plus, que moi, n'en croyoit rien.

VI

IV

V.

## V.

## EX PATINIANIS

(BONS MOTS DE MR. PATIN

A AMSTERD. 1703.)

p. 100.

Le bon homme M. de la Mothe le Vayer s'est marié dans vn âge fort avancé. Il a voulu perdre la vie par l'endroit, qui la lui avoit donnée. On peut dire de lui ce que Paul Love a dit de Manard:

*In fouea qui te moriturum dixit aruspex,  
Non mentitus erat, coniugis illa fuit.*

EX PATINIANIS  
GENS MOTS DE MR. PATIN

Georgii PETRI TROYENSIS A

**N**e vacua restet haec pagina, indicem scriptorum a I. L. E. RÜTTMANNNO adhuc in lucem editorum adiicere placuit. Sunt autem haec:

I. Diff. inaugural. de querela inoff. testam. fratribus vterinis haud concedenda. Lips. 1761.

II. Prolus. de caeca et illiberali sine arte critica et humanior. litteris iurisprudentia. 1762.

III. Coniecturarum ad locos quosdam iur. ciu. deprauatos decas. Prolus. 1763.

IV. Interpretationum et Observacionum iur. ciu. Liber singularis. 1763.

V. Diff. sistens Varia iur. ciu. capita. 1766.

VI.

- VI.** Probabilium iur. ciu. Liber singularis.  
Accedit eiusd. Diff. iur. can. de Legislatore Ephesino. 1768.
- VII.** Diff. sistens Meletemata iur. ciu. 1771.
- VIII.** Prolusio de arbitrio iudicis e foro iudicisque eliminando. 1771.
- IX.** Memoria Gotfridi Mascouii. Accedunt  
Io. Barbeyracii et aliorum epistolae  
aliquot ineditae, nec non Specimen  
Manusc. graeci, Eclogam legum  
continentis, typisque nondum ex-  
pressi. 1771.
- X.** Diff. de querela inoff. testam. fratribus atque sororibus contra spurious haud competente. 1772.
- XI.** Diatribe de feudo caballino, quod vulgo Klepperlehn vocant. 1773.
- XII.** Probabilium iur. ciu. Liber secundus. 1773.
- XIII.** Diff. de Interdicto Saluiano. 1773.
- XIV.** Praefatio ad Scriptores Histor. August. 1774.

XV.

XV. Praefatio et notae ad Gotfr. Mascouii  
Orat. de vsu et praestantia histor.  
august. in iur. ciu. 1774.

XVI. Aduersariorum iuris vniuersi Liber pri-  
mus. 1775.

XVII. Praefatio et animaduersiones ad Gotfr.  
Mascouii opusc. iurid. et philolog.

1776. Memores Gotthibii  
estoliq[ue] autiole 10. Belega*re* 10.

XVIII. Diff. de rutiis caesis. 1776.

XIX. De Epochâ Ausoniana sictoque D. Ma-  
gni Ausonii Consulatu Burdigalenſi  
Diatriba. 1776.

XX. De fendo fiduciario Diatriba. 1777.

XXI. Diff. de iure recipiendi hostes alienos.  
1777.

XXII. Prolus. de excessu eius, cui aut verbe-  
ratio aut vulneratio alicuius manda-  
ta est, mandanti haud imputando.  
1777.

XXIII. De Hadriani Imp. libris catacianis  
Epistola. 1778.

VX

XXIV.

- XXIV. Aduerſiorum iuris vniuersi Liber  
ſecundus. Accedit eiusd. Diff. iur.  
crim. de Receptatoribus. 1778.
- XXV. Elementa Iuris Criminalis, commoda  
ſtudentibus et auditoribus methodo adornata. 1779.
- XXVI. Diff. de Murcis. 1779.
- XXVII. Prolus. de Partu vndeclimestri.  
1779.
- XXVIII. Diff. de iure ad crescendi ad rem  
hereditatis haud pertinente.  
1780.
- XXIX. Prolus. de iure heredum vasalli offe-  
rendi simultanee inuestiendos. 1780.
- XXX. Elogium Christiani Thomasii, quod  
præfixum est Tom. IV. Diff. Chr.  
Thomasii, Halae 1780. typis  
excus.
- XXXI. Diff. de crimine connuentiae. 1781.
- XXXII. Elementa iuris feudalis, qua priuati,  
qua publici. 1781.
- XXXIII. Prolus. de eo, quod inter feudum  
pecuniarium, pecuniam feudalem,  
pecu-

pecuniam ex feudo soluendam et con-  
stitutum feudale interest. 1781.

**XXXIV. Prolus. de auallo 1781.**

**XXXV. Opuscula iuridica ex Miscellaneis  
Obseruationibus Batauis in vnum  
volumen collecta. Recensuit, prae-  
fatus est, et animaduersiones non-  
nullas adiecit I. L. E. Püttmannus.  
Halae 1782. apud Gebauerum.**

**Reliqua, quae separatim antea edidit,  
scripta partim Probabilibus, partim Aduersariis  
inserta sunt.**

**Reliqua, quae separatim antea edidit,  
scripta partim Probabilibus, partim Aduersariis  
inserta sunt.**

**Reliqua, quae separatim antea edidit,  
scripta partim Probabilibus, partim Aduersariis  
inserta sunt.**

**Reliqua, quae separatim antea edidit,  
scripta partim Probabilibus, partim Aduersariis  
inserta sunt.**

**Reliqua, quae separatim antea edidit,  
scripta partim Probabilibus, partim Aduersariis  
inserta sunt.**

**Reliqua, quae separatim antea edidit,  
scripta partim Probabilibus, partim Aduersariis  
inserta sunt.**

**Reliqua, quae separatim antea edidit,  
scripta partim Probabilibus, partim Aduersariis  
inserta sunt.**

**Reliqua, quae separatim antea edidit,  
scripta partim Probabilibus, partim Aduersariis  
inserta sunt.**

is  
n  
2.  
n-  
5.  
  
t  
S



**ULB Halle**

3

005 814 006







67  
PÜTTMANNI

SSORIS LIPSIENSIS

DE

IS SENVM  
IENTATIO



KÖNIGLICHE  
UNIVERS.  
ZV HALLE

HALAE  
S IACOBI GEBÄVERI  
CCLXXXII